



quod inferius describetur, accommodavimus tubo nostro
grandiori superne decurtato, in pavimento tertiae contigna-
tionis,

II. Ac primò quidem anno 1679.
paratis rite ut opinabamur omnibus, a-
qua non cœpit solùm delabi, ut aliàs, à
G ad F, sed cœptum semel lapsum conti-
nuavit postea, lentè quidem ad A tamen
usque. Mirati tam inopinatum acci-
dens, &, alicubi aërem irrepisse facile
conjectantes, supremam commissuram
ad F (quàm solam cerâ tantùm, non in-
super vesicâ suillâ, uti cæteras, munive-
ramus, id sufficere rati in tantilla altitu-
dine G F) communivimus solicè ma-
gis, etiam vesicæ portione cautè circum-
ligatâ, & exemplò iteratum experimen-
tum ex voto successit, delapsâ primùm
Aquâ ex G ad F per aliquot pedum alti-
tudinem, ibi verò postmodum hærente,
tametsi epistomium inferum mansisset,
ut antè, referatum.

III. Ex causa verò quam huic effe-
ctui dudum assignaveramus, in promptu
erat hariolari, si recipiens exhaustum ap-
plicaretur eidem tubo utrinque aperto,
nec dum aquis replete, alterâ tamen ex-
tremitate A eis immerso, fore, ut reclu-
so recipientis epistomio, aqua ex vase Z
per tubum A G saltem ad F usque ascen-
deret; in ipsum verò recipiens effunde-
retur, si hoc infra locum consistentis aliàs
aquæ applicaretur. Hoc igitur ut factò
ipso experiremur, anno 1675. recipiens
vitreum, anno 79. cupreum amplius,